# Epistola APOLOGETICA ET PARÆNETICA AD Theologum quendam Belgam Scripta.

BIB. CANT. ACAD.

LONDINI
Apud TIMOTHEUM GARTHWAIT, 1663.

4108.81

# EPISTOLA

*Apologetica & Paræneticà à Theologo quodam Anglo ad Theologum quendam Belgam ſcripta.*

*VIR CLARISSIME,*

LIteras tuas Hagâ Comitis nono Maji ad me datas, & Bredam miſſas (unde tunc aberam) tardiùs quidem, quàm pro temporis quo ſcribebantur, ratione, loco tamen maximè idoneo (Bruxellis ſcilicet) accepi. Et ſtatim Regem adeundi & alloquendi opportunitatem nactus, literas illas tuas, & obſervantiæ erga ipſum & humanitatis erga me pleniſſimas, coram Sereniſsima ipſius Majeſtate recitavi: Unde & gratum animi tui ſenſum pro nupera ipſius in te benevolentiæ per me ſignificatione intellexit, & optimum illud tuum de ipſius Majeſtate ampliùs adhuc benè merendi ſtudium magna cum voluptatate agnovit & laudavit: Juſsitque me ut proximis meis ad te literis, non meo tantùm, ſed ſuæ ipſius Majeſtatis nomine gratias tibi agerem. Quod quidem nunc libens lubenſque facio. Quid enim mihi gratius contingere potuiſſet, quàm ut de eodem Viro idem eſſet judicium Domini mei ac meum? Vel quid optatius aut jucundius, quàm idem habere in mandatis & in votis, & quod ſponte facturus

rus eſſem ex officio facere? Si quid igitur voluptatis ex illo internuncio ceperis, æquum eſt, ut veriori & uberiori jam fruaris & perfundaris lætitia, cum idem à me (quod auribus meis ex ipſo ipſius Regis ore hauſi) teſtimonium, non confirmatum modò, ſed & auctum habeas. Quod verò tu, pro verecundia tua, nullum in temet ipſo ad conciliandam tibi Regis noſtri benevolentiam meritum agnoſcis, ſed illud maxima ex parte Regis ipſius bonitati, & aliqua etiam ex parte mihi & opellæ meæ quam tibi præſtiti, tribuendum cenſeas; Ego quidem, ut primum ex his tribus, ſine tua & veritatis injuria, concedere non poſſum, ſic ſecundum abſit ut negarem; imò nec tertium omninò diffitebor. Nam indignus eſſem illâ, qua Rex noſter omnes fideles ſuos ſubditos dignatur, gratiâ, ſi vel peregrinos de illo benè meritos ad eandem apud illum gratiam (quantum quidem in me eſſet) non promoverem: Et ex peregrinis illos præcipuè qui ejuſdem Religionis vinculo nobiſcum conjuncti ſunt. Benè autem de Rege noſtro merentur, qui illum talem, qualis reverâ eſt, nempe bonum & pium, & Orthodoxum Principem eſſe exiſtimant; Meliùs, qui quod ipſi ſentiunt prædicando, & aliis etiam idem ſentiendi authores ſunt; Optimè verò & de Rege, & de Eccleſia, & de univerſa gente noſtra merentur illi, qui famam & exiſtimationem innocentiſſimi & afflictiſſimi Principis contra ſiniſtros & falſos

falſos de illo in re Religionis rumores (à quibuſdam ex noſtris, qui Regem aut non nôrunt, aut odio habent, de induſtria ſparſos, à nonnullis verò ex veſtris nimiùm patulis auribus, creduliſque animis exceptos) ſartam tectam tuentur, vel ſaltem tueri conantur. Quod te imprimis (pro illa qua apud tuos meritò vales gratia) & jam feciſſe audivit, & porrò (quoties occaſio dabitur) facturum eſſe Rex non dubitat. Intereâ mirari ſatis equidem non poſſum, non quòd hujuſmodi rumores ſpargantur (nam ut olim fuerunt, ſic & nunc ſunt, & ſemper erunt κυριότητος καταφρονοῦντες, καὶ δόξας βλασφημοῦντες) ſed eſſe aliquem ſanæ mentis, qui talibus calumniis (quæ nihil, non dicam veritatis, ſed nec veriſimilitudinis quidem in ſe habent) aut velit, aut poſsit fidem habere. Nam quibus, quæſo, indiciis conſtare, quibus argumentis apud æquos rerum æſtimatores probari poteſt, Regem noſtrum à Paterna & Avita, id eſt, ab optimè Reformata Religione ad Romanam deſciviſſe? aut ulla ex parte animi ſui ſententiam mutaſſe? Noſti illud Poëtæ,

*Quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem*
*Teſta diu.*

Et nemo, opinor, inficias ibit Regem noſtrum ab ipſis incunabulis in Orthodoxa & verè Evangelica doctrina imbutum & enutritum fuiſſe. Nam ſi quis ſecùs dixerit aut ſenſerit, neceſſe eſt, ut alterum ex duobus exiſtimet etiam & affirmet, nempe vel

Eccleſiam tunc temporis Anglicanam non fuiſſe Orthodoxam (quod nemo ex Reformatis, qui ſuam ipſius Eccleſiam damnare nolit, affirmare poteſt) vel ſanctiſsimum & prudentiſsimum Principem (Carolum primum τὸν μαχαείτην intelligo) in alienis ſacris & in diverſa ab Eccleſiæ Anglicanæ fide (quam ipſe non dictis modò, & factis & ſcriptis dum viveret, celebravit, ſed ſanguine & martyrio ſuo moriens obſignavit) filium ſuum dilectiſsimum, & Regnorum Hæredem, de induſtria inſtituiſſe & educaſſe: quod ut extremæ eſt impudentiæ dicere, ſic non minoris eſt dementiæ credere. Sed annon fieri poteſt (inquient illi ſuſurrones Diabolici) ut quis à recto, quo priùs inceſſerat, tramite deviet? Fieri quidem poteſt; ſed multa, quæ fieri poſſunt, non fiunt tamen: Et palàm eſt, Regem noſtrum eâdem, qua ſemper inceſſit, viâ adhuc inſiſtere; & iiſdem quibus primùm initiatus eſt, ſacris adhuc operam dare. Nam bis ſingulis diebus divini Cultûs officia, matutinæ ſcilicet & veſpertinæ Preces (quibus ipſe intereſſe ſolet) in Aula ejus publicè & ſtatis horis celebrantur: Et ſingulis ſeptimanis die Dominico Conciones item publicæ coram ipſo habentur: Singulis denique menſibus poſt Preces & Concionem Sacra Synaxis adhibetur. Et hæc omnia, abſque ulla Pontificiæ ſuperſtitionis mixtura, ſecundùm formulam ab Eccleſia Anglicana inſtitutam & uſurpatam, typiſque

que (ut omnibus innoteſcere poſſit) editam peraguntur. Quod ſi quis adeò vecors ſit, ut hæc omnia per ſimulationem fieri dicat, næ illum non charitatis modò, quæ Chriſtianum, ſed candoris (addo etiam rationis) qui hominem decet, expertem eſſe oportet. Nam quid à Chriſtiana charitate (quæ dubia etiam & ambigua in meliorem partem interpretatur) magis alienum eſſe poteſt, quàm de aliorum conſcientiis non ſecundùm ipſorum dicta aut facta, ſed juxta propriam, aut temerariam, aut malignam de illis ſuſpicionem judicare? Aut quid homine, non dicam Chriſtiano, ſed ingenuo, magis eſt indignum, quàm quæ dextra ſunt ſiniſtrè accipere; Et quæ benè fiunt, tanquàm non bono, ſed malo animo facta eſſent, arguere? Denique quid magis ἄτοπον aut recte rationi minùs conſentaneum, quàm abſque omni ratione de alienæ cujuſlibet (ne dicam Principum) mentis ſenſu & intentione in præjudicium ejus pronuntiare? Et quænam, quæſo, vel fingi poteſt ratio, aut ſpecies rationis, cur Rex noſter ſe Evangelicum, ſi non eſt, ſimularet eſſe? præſertim hoc tempore, & in illo, ubi nunc eſt loco? Certè ſi non eſſet Carolus Caroli (qui mori quam abnegare, vel diſſimulare Religionem ſuam maluit) ſed Carolus Ludovici (qui nullam aliam præter diſſimulandi artem, tanquam Principi neceſſariam, filio ſuo commendavit) poterat fortaſſe ſimulare ſe Pontificium inter Pontificios, ut eo no-

mine gratior illis esset, & ut illos benevolentiores & beneficentiores, & ad opitulandum ipsi promptiores & alacriores redderet. Jam verò cùm omnibus satis constet, ex omnibus Pontificiis Hispanos inprimis καὶ ὑπερεκπερισσοῦ τῶν πατρικῶν παραδόσεων ζηλωτάς esse, & proinde ab illis, quos vocant Hæreticos, maximè abhorrere, profectò non magis impium quàm stolidum & insanum esset, aliquem apud eos exulantem, & illorum auxilio maximè indigentem, apertè & publicè cum Paulo profiteri, se secundùm illam, quam illi Hæresin appellant, viam Deum colere, si eandem cum Paulo religionem mente ac animo non amplecteretur. Quod si adhuc instent malevoli & maledici, urgeantque, personatæ tantùm & non synceræ Religionis in Rege nostro argumentum esse, quòd primò Parisiis apud Gallos, deinde Coloniæ apud Germanos, postremò Brugis & Bruxellis apud Hispanos, semper autem & ubique apud Pontificios, in exilio suo, vixerit: Respondeo, eâdem ratione probari posse, Davidem, quoniam aliquandiu inter Philistæos commorabatur, non amplius Israëlitem, sed Philistæum fuisse. Sin regerant, hoc invitum fecisse Davidem, cùm à Saule pulsus & proscriptus esset, & cum nulla ex duodecim tribubus (quæ eundem cum illo Deum eodem modo colerent) hospitio illum excipere aut vellet aut auderet. Idem à nobis pro Carolo nostro dictum esse existiment: Nam & ille natali solo, non à Rege, sed à subditis

suis

ſuis per vim expulſus, & Regnis, divino & humano jure ſibi debitis, per ſummam injuriam excluſus, & à nullo Proteſtantium Principum aut Ordinum vel invitatus vel admiſſus, ad illud quod unicum patebat refugium neceſſariò ſe recepit: quod fortaſſe aliis vitio verti poteſt, ſed non illi. Nam ſi illi Deus optionem dediſſet, nemini dubium eſſe poteſt, quin & Hoſpitium, cum aliis Exilii ſolatiis, dum à Patria abeſſet, & reductionem in Patriam, & ad Paternum, cui natus eſt, Regnum reſtitutionem illis potiûs qui ſunt ejuſdem cum illo, quàm qui ſunt diverſæ ab illo in Religione profeſſionis, debere maluiſſet: Itemque ex omnibus, qui eandem cum illo fidei & cultus normam profitentur, Veſtros potiſſimum Ordines elegiſſet, quorum conſilio & patrocinio ſe ſuaſque res omnes crederet & commendaret. Noverat enim quàm antiqua & arcta inter Regiam Angliæ familiam & Rempublicam Veſtram, ab ipſa ejus origine, interceſſerat amicitia: Nobis quidem non inutilis, ſed vobis (ut tunc res veſtræ ſe habuerunt) prorſus neceſſaria. Quam quidem amicitiam in afflictiſſima conditione veſtra, non ſine multa cum pecuniæ, tum ſanguinis Anglicani profuſione, ab Elizabetha inchoatam; deinde ab avo Regis noſtri Jacobo maximis in Rempublicam & Eccleſiam veſtram meritis auctam & confirmatam, poſtremo à Carolo Patre ſanctiſſimè cultam, & nuptiis filiæ

ſuæ

ſuæ (ut credi par erat) inviolabiliter ſancitam & ſtabilitam; adeòque à majoribus ſuis longa ſerie ad ſe devolutam & quaſi propagatam, Carolus filius ſibi nunquam defuturam eſse credidit. Præſertim cum ſanioribus etiam inter vos Politicis, non minus ex re veſtra quàm noſtra eſse videatur, ne optimè merita de vobis omnibus Familia nefariis proditorum & Parricidarum machinationibus prorſus opprimeretur. Nam ſi vobis Mercaturam exercentibus Anglicæ gentis amicitia propter piſcationem & portuum opportunitatem ſit, ut reverà eſt, omnino neceſsaria: non minus neceſsarium erit, ut Anglia talem regiminis formam habeat, cui vobiſcum pacem colere, quàm bellum gerere magis expediat; Et præterea, ut in iſto regimine ad clavum ſedeat, cum quo vobis certum & conſtans fœdus inire liceat; Et à quo, Majorum ſuorum exemplis edocto, & veſtris erga ipſum meritis obſtricto, nihil eſt (quod ſperare fas eſt) quod facillimè impetrare non poſsitis. Primum igitur quod ante omnia cavere debetis eſt, ne alia quàm Monarchica Politeiæ ſpecies in Anglia obtineat: Secundum, ne quem alium regnare patiamini quàm cui ſceptrum jure indubitatæ ſucceſſionis, & patriis legibus ac inſtitutis manifeſtiſsime debetur: Nam quòd Spuria Vitulamina, hoc eſt, adulterinæ & illegitimæ plantationes (ſive in familiis, ſive in regnis) altas & duraturas radices non agent. Cromwellianæ

wellianæ domus fortuna, ſeu potius juſtiſsima Dei in illam vindicta, nunc oſtendit: Itemque quod fœdera cum talibus inita, arenoſo fundamento meritò ſunt innixa, & nonnunquam eidem cum fœderatis maledictioni divinæ obnoxia: quod ne Vobis Ordinibuſque Veſtris contingat, Deum obſecro. Non poteſtis tamen, opinor, non vereri ne multiceps illa Hydra, quæ ex μοναρχίαν nuperâ tyrannide nunc pullulare incipit, in perniciem veſtram æquè ac noſtram brevi excreſcat; præſertim ſi in Reipublicæ formam quò tendere videtur, coaleſcat. Nam duabus tam vicinis, & eandem amaſiam (Mercaturam ſcilicet) ambientibus Rebuſpublicis, nunquàm inter ſe conveniet; Neque ullus bellandi inter Vos finis erit, donec vel vos illos, vel illi vos, non ad inopiam modò, ſed ad ſervitutem redegerint. Et illi quidem quomodò erga vos animati ſint, & quàm hoſtili odio in vos etiam nunc flagrant, non diſsimulant: Nam in prima (poſt occupatum Imperium) quam pro rebus à ſe geſtis & gerendis nuperrimè ediderunt, Apologia (quam egomet ipſe vidi ac legi, typis, ut omnibus innoteſceret, impreſſam) diſertis verbis Cromwellium patrem acriter & acerbè perſtringunt, cùm propter alia, tum ob duo potiſsimùm, magna cum gentis Anglicanæ injuria & infamia (ut illi aiunt) ab illo facta, nempe injuſtiſsimum bellum Hiſpanis illatum, & damnoſiſsimam pa-

cem Vobiſcum initam : Ex quo quid (rebus domi conſtitutis) facturi ſint, non opus eſt Sphynge ut quis intelligat. Quod ſi ad veterem nimis per ſe potentem, novus non minùs formidabilis accedat hoſtis, & terra marique ſimul, hoc eſt, undique & ubique oppugnamini, cogitate, quæſo, quibus amicitiis fulti, aut fœderibus freti, ad tantam belli molem vel amovendam vel ſuſtinendam pares eſſe poſsitis? Una quidem eſt (& fortaſſe unica) certè optima, expeditiſsima & certiſsima, (addam etiam & honeſtiſsima) & minimè ſumptuoſa, vos ex omnibus, quæ hinc, vel indè, vel aliundé impendent, vel impendere poſſunt, periculis extricandi ratio; nempe, ſi quod olim fieri oportuit, illud vel nunc facere in animum inducatis, Regem ſcilicet noſtrum, & illos qui ejus ſequuntur & ſequuturi ſunt partes, in Patrocinium veſtrum recipere, & bellum, quod utcunque vel nolentes habituri eſtis, occupare potiùs, quàm expectare. Sed Martis aleam, inquies, infœlicitèr cum gente veſtra non ita pridem experti ſumus, & pacem quamvis non ſatis æquam omni bello anteferendam ducimus. Certè: ſi penes vos eſſet vel pacem vel Bellum pro arbitrio eligere. Sed Bellum (ut dixi) vel duriſſimum ſervitutis jugum vobis vel invitiſſimis eſt ſubeundum. Servire autem cùm liberam & fortiſſimam gentem non deceat, reſtat ut apud vos pro prudentia veſtra ſtatuatis, bellum forenſe, vel domeſticum, breve

vel

vel diuturnum, utile vel damnoſum, victoriam denique facilem & certam, vel difficilem & incertam habiturum eligere, ſatius eſſe exiſtimetis. Neque ex anteacto bello ſolis auſpiciis veſtris geſto, de futuro (quod aſſumpto in ſocietatem Rege noſtro gerendum ſuadeo) conjectandum eſt. Multum (mihi credite) ad debellandum illum hoſtem in ſolo Regis nomine ponderis eſt & momenti: Nam quamvis hactenus (ut Cyphra per ſe poſita) nihil valuiſſe videatur, vobis tamen additus & adjunctus vires veſtras non augebit modò ſed multiplicabit, & omnino inſuperabiles efficiet. Adeo ut ſi bellum inferentibus vel propulſantibus Confœderato & Comilitone aliquo opus fuerit (ut certè erit) nemo eſt ex omnibus totius orbis vel potentiſsimis Principibus, qui rege noſtro, quamvis nudo & inermi, non dicam magis fidelem, ſed nec magis efficacem ad victoriam de illo hoſte reportandam, aut velit aut poſsit operam vobis præſtare. Nam cæteri Principes veſtrum quidem numerum vel navium vel militum poſſunt augere, ſed hoſtium veſtrorum nec multitudinem, nec vires poſſunt minuere: & talis eſt ille hoſtis, ut niſi dividatur, vix, ac ne vix quidem, vinci poſsit. Præterea, ut Antæus Terrâ, ſic angli Mari vel ab ipſo Hercule ſunt inſuperabiles; Navali itaque prælio (ſi evitari poſsit) non eſt cum illis confligendum. Sed cum lecta militum manu (quibus Regem noſtrum aut præeſſe aut ſaltem in-

tereſſe oportet) ſubitò transfretandum. Et quocunque hoc fiat loco (quam plurimis autem in locis poteſt fieri) non dubitandum eſt (quam primum de Regis adventu & de veſtra cum illo conjunctione ſubditis ſuis conſtiterit) quin illa manus militum, quantumvis exigua in principio fuerit, in numeroſiſsimum exercitum ſtatim excreſcat, advolantibus nimirum hinc inde ad Caſtra Regis, viciniores Provincias incolentibus, mox omnibus ubique locorum Regni ad vindicandam corporum, bonorum & animarum libertatem certatim & catervatim concurrentibus. Nam variata toties Tyrannide, & nunquam emendata, ſed in deterius ſemper mutata illorum conditione, jam tandem intelligunt nuſquam veriorem vel tutiorem quàm ſub bonis & legitimis Regibus libertatem eſſe: Neque ullum malorum ſuorum aut finem aut modum expectandum, donec quæ Dei ſunt Deo, & quæ Cæſaris ſunt Cæſari reſtitutis, omnia ad priſtinam & optimam tam in ſacris quàm in civilibus vivendi normam reducantur. Nam ut nunc res ſunt, nullus eſt omnino Dei cultus, nulla Legum reverentia, nulla Majeſtas publica, nulla ſalus aut ſecuritas privata, ſed omnia ſuſque deque habentur; dum pauci ex fæce Plebis Sectarii, Sectariis & gladiatoribus ſtipati, quicquid libet, hoc eſt, quicquid fieri non oportet, faciunt: Et hanc Oligarchiam στρατιωτικὴν (quæ eſt Tyrannidis ſpecies omnium peſſima) Rempublicam

licam appellant. Adeo ut Anglia noſtra, quæ non ita pridem erat, & adhuc (ſi bona ſua noſſet) eſſe poterat, omnium gentium liberrima & fœliciſſima, nunc Mancipiorum Mancipium facta, ſub non minùs pudendo, quàm gravi ſervitutis jugo gemit. Quare non dubitandum eſt, quin ad primam emancipationis oblatam ſpem, omnes communi conſenſu ſeſe erecturi ſint, & quamlibet tam turpe jugum excutiendi anſam avidè arrepturi: adeo ut breviſſimo tempore, modicis ſumptibus, & nullo ferè cum periculo res poſſit confici; aut ſi quid periculi ſiet, noſtrum erit, & non veſtrum. Nam quamvis nos ſanguine noſtro libertatem veſtram redemerimus, ad noſtram tamen recuperandam paululum tantummodò pecuniæ, paucas naves, & aliquid inſuper armorum & commeatus bellici pro uſura ſanguinis noſtri poſtulamus. Et ſperamus vos tandem effecturos, ne nos——*Officio certaſſe priori Pœniteat*; Et ne ſanguinem noſtrum, quem gratis profudimus, pro ingratis etiam profudiſſe videamur. Certè nulli unquàm Genti magis optanda, quàm nunc veſtræ, oblata eſt, aut eſſe poteſt occaſio, unâ eademque operâ & gratiam benè merentibus referendi, & ſuam ipſius ſalutem cum lucro & gloria procurandi. Nam primò, quid ad ſalutem, imò vitam (ut ita dicam) Reipublicæ Veſtræ tuendam & conſervandam magis eſt neceſſarium, quàm Angliam tam vicinam,

tam mari terrâque potentem gentem non modo non habere inimicam, ſed habere ſemper conſiliorum & periculorum ſociam, contráque quoſlibet hoſtes promptiſsimum & fideliſsimum Hyperaſpiſten? Deinde quid utilius, aut ad Mercaturam (hoc eſt, ad Reipublicæ veſtræ animam) fovendam, ſtabiliendam & amplificandam efficacius, quàm Navigationem per omnia Britannicæ ditionis maria habere ſecuram, Piſcationem in Scotia liberam, & omnes in Anglia, Scotia, & Hybernia portus navibus veſtris recipiendis, & recreandis, itemque mercibus importandis & exportandis paratos & patentes? Poſtremò, quid magis glorioſum, & omni laude magis dignum quàm Regem optimum, & optimè erga vos affectum, Auguſtiſsimis natalibus ortum, & ampliſsimis Regnis divino humanóque jure deſtinatum, nunc verò nullo ſuo merito exhæredatum & exulantem, in patriam reducere, & in paterno Solio collocare? Nec non Regnum nuper florentiſsimum, nunc verò à parricidis & prædonibus occupatum & oppreſſum in libertatem aſſerere? Eccleſiam denique reformatam, & paucis ab hinc annis (abſit invidia dicto) ex omnibus reformatis, formoſiſsimam, nunc verò portentoſis Hæreticorum opinionibus deformatam, multiplicibus Sectariorum Schiſmatibus laceratam, & horrendis Atheorum ſacrilegiis tantùm non perditam, priſtinæ ſuæ Orthodoxiæ, pul-

pulchritudini & patrimonio reſtituere? Hæc autem omnia nobis tam utilia, vobiſque tam glorioſa faciliùs à Veſtra Republica quàm à quolibet alio Principe præſtari poſſunt. Et reverà omnes qui domi aut foris ſumus Angli, hoc tantum beneficium vobis potiùs quâm ullis mortalium (præterquàm nobiſmet ipſis) debere malumus. Quod ſi hanc tam opportunam de nobis, de vobiſmetipſis, & de divino Numine benè merendi occaſionem (ut hactenus omiſiſtis) omittere porrò pergatis, aliunde fortaſsè (ut dixit Mardocheus Eſtheræ) nobis erit liberatio; non addam quod ſequitur in textu, Vos autem peribitis; ſed ſi liberè quod ſentio loqui liceat, Quicquid de nobis fiet, aut multi qui nobis non malè volunt, mecum, falluntur, aut vos hujus conſilii veſtri ſerò & fruſtrà pœnitebit. Sed meliora de vobis, & à vobis ſperamus: Et Deum Patrem Luminum indeſinenter oramus & orabimus, ut det vobis mentem intelligere, animumque velle illa quæ ad pacem veſtram æquè ac noſtram reverà pertinent. Sed quare, aut quorſùm, inquies, ego ad te, Theologus ad Theologum hæc ſcribo, quæ ſunt Politicorum propria? Aut ſi mihimet ineptire libeat, cur tibi tantum otii à re tua eſſe crederem, aliena ut cures? Rectè quidem, ſi eſſent aliena: Sed cùm homines ſimus, humani nihil alienum à nobis eſſe putare debemus; Et multò minùs quæ ad Chriſtianos

ſtianos ſpectant, aliena eſſe à Chriſtianis: præſertim ſi Concivium noſtrorum res agitur, quibuſcum neceſſe eſt etiam noſmet ipſos, aut ſalvos eſſe, aut naufragium facere. Quare dabis mihi veniam, uti Spero, Vir Clariſſ. ſi (pro officio Regi, & obſequio tibi debito) ad te Scripturus, non potuerim mihi temperare, quin ex abundantia Cordis eloquerer, & quæ ſæpiùs mecum cogitare ſoleo, apud te effutirem. Sed ſcias intereà velim, me hoc non juſſu Regis, ſed ſponte mea facere; uti ſi quid liberiùs aut imprudentiùs dixerim, mihi ſoli & in ſolidum imputetur. Spero tamen me tali temperamento uſum fuiſſe, ut nec amore nimio in Patriam, nec perverſo partium ſtudio abreptus eſſe videar. Certè ſi quis Belgas non Belga amat, eiſque ex animo benè optat, ego is ſum: & meritò quidem, utpote inter quos majorem decennii partem ſic vixi, ut etiam inter illos, quàm in ulla alia orbis terrarum regione (ſi in Patria non liceat) mori mallem. Quare non poſſum non optare, non poſſum non ſuadere, imò non poſſum non ſperare arctiſsimam & indiſſolubilem inter gentem veſtram & noſtram unionem. Per gentem autem noſtram intelligo, non factionem aliquam ab hoc vel illo Demagogo ex viſceribus plebis ſubitò exhalatam, & (poſt brevem corruſcationem) non minùs ſubitò labentem vel lapſuram (nam cum talibus fœdere ſociari, quid

aliud

aliud eſt quàm nubem prò Junone amplecti ?) Sed verum & integrum corpus Politicum, vero & genuino capiti ſuo adnatum, cujus falſa ſpecie & umbra nimium diu eſt quòd hactenus decepti eſtis. Faxit igitur Reſpublica veſtra, ut huic capiti hoc corpus iterùm adhæreſcat, ut vos cum utroque firmiùs & intimius, quàm unquàm ante hàc, coaleſcatis. Intra pauciſſimos annos multas vidiſtis in Orbe Britannico mutationes: Sed omnium peſſima, præſertim ut vos reſpicit, eſt noviſſima: Cavete igitur ne ſit ultima. Uno & altero Phaëtonte jam excuſſo, multiplicatis aurigis, intenditur potiùs quam remittitur conflagratio, Veſtram etiam domum, ni matuè proſpiciatis, Propediem correptura: Proſpicere autem huic periculo non poteſtis, niſi Phœbus noſter à vobis adjutus currum ſuum ocyùs aſcenderit, & benigniori aſpectu, quàm Cometarum aliquis aut velit aut poſſit, nobis vobiſque illuxerit. Hæc verò adeò ſunt per ſe clara, ut nemo ſit qui non videat. Quare ut omnia quæ jam dixi, & quæ (à me ſalem) hac de re dici poſſunt, ſummatim complectar, & unica periodo abſolvam, Nihil profectò eſt quod noſtra vel Regis noſtri gratiâ à vobis fieri flagitamus, quod, nobis non petentibus, & nulla ad nos aut Regem noſtrum ratione habita, à vobis ultrò fieri, & quàm maturè fieri non oporteat, ſi voſmetipſos ſalvos eſſe velitis. Et tamen quicquid à vobis vel ita fiet, non recuſamus, quin illud to-

tum, quasi noſtri ſolius gratiâ factum eſſet, nobis omninò imputetur. Et nos ſic illud accepturos ut debitores pro tanto & tam opportuno beneficio decet, ſanctiſsimè pollicemur.

Quæ verò nunc ad te ſcripſi, V. Cl. ſi ponderationum momentis, tu adjecto tui limatioris judicii calculo comprobaveris, per me licebit, ſi tibi libet, quibuſvis amicorum tuorum, eadem mecum & tecum ſentientibus & optantibus, communicare. Sin, quæ à me in medium allata ſunt, vel inepta vel infirma, vel non opportuna, pro rerum & temporum ratione eſſe cenſueris, penes te eſſe volo vel ſilentio premere, vel Vulcano devovere, vel quicquid tibi placuerit, acſi tua ipſius eſſent, de illis ſtatuere. Supereſt, ut prolixitatem hujus ſcripti (qua vereor ne reſcribendi moram pluſquam compenſaverim) excuſarem: Sed hoc & quicquid aliàs à me erratum fuerit, tu pro candore tuo (Vir humaniſsime & eruditiſsime) condonabis illi, qui & veſtræ gentis eſt amantiſsimus, &

Ex Collegio Auriaco
Bredano, Datum
*Junii* 7. *An.* 1659.

*Tuæ ipſius Reverentiæ obſervantiſsimus,*
*tuaque Amicitiæ ſtudioſiſsimus*

GEO: MORLEY.

ERRATA.

Pag. 5. lin. 16. *lege* rectæ. p. 10. l. 2. *lege* nunquam eſt Oedipo. p. 12. l. 9. *lege* & mor
p. 13. l. 5. *lege* gemat. p. 16. l. 11. *lege* ut ſi.